



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XXXIV. Quòd amanti sapit Deus super omnia, & in omnibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

C A P U T XXXIV.

*Quod amanti sapit DEUS super
omnia, & in omnibus.*

1. **E**cce Deus meus, & omnia.
Quid volo amplius, & quid
felicius desiderare possum.

O sapidum & dulce verbum ! sed
amanti Verbum, non mundum, nec
ea, quæ in mundo sunt.

Deus meus, & omnia. Intelligenti
satis dictum est : & sæpe repetere,
jucundum est amanti.

Te siquidem præsente, jucunda
sunt omnia : te autem absente, fasti-
diunt cuncta.

Tu facis cor tranquillum, & pa-
cem magnam, lætitiamque festi-
vam.

Tu facis bene sentire de omnibus,
& in omnibus te laudare: nec potest
aliquid sine te diu placere ; sed si de-
bet gratum esse & bene sapere, opor-
tet gratiam tuam adesse, & condi-
mento tuæ sapientiæ condiri.

N 4

2. Cui

2. Cui tu sapis , quid ei rectè non sapiet ?

Et cui tu non sapis , quid ei ad jucunditatem esse poterit ?

Sed deficiunt in sapientia tua mundi sapientes , & qui carnem sapiunt : quia ibi plurima vanitas , & hic mors invenitur.

Qui autem te per contemptum mundanorum & carnis mortificationem sequuntur , verè sapientes esse cognoscuntur : quia de vanitate ad veritatem , de carne ad spiritum transferuntur.

Istis sapit Deus : & quidquid boni invenitur in creaturis , totum ad laudem referunt sui conditoris.

Dissimilis tamen , & multùm dissimilis sapor creatoris & creaturæ , æternitatis & temporis , lucis increatæ & lucis illuminatæ.

3. O lux perpetua , cuncta creata transcendens lumina , fulgura coruscationem de sublimi penetrantem omnia cordis mei intima.

Purifica , lœtifica , clarifica , & vivifica ,

fica , spiritum meum cum suis potentiis , ad inhærendum tibi jubilosis excessibus.

O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora, ut tuâ me saties præsentia , & sis mihi omnia in omnibus !

Quandiu hoc datum non fuerit,
nec plenum gaudium erit.

Adhuc (proh dolor !) vivit in me
vetus homo ; non est totus crucifixus : non est perfectè mortuus.

Adhuc concupiscit fortiter contra
spiritum , bella movet intestina , nec
regnum animæ patitur esse quietum.

4. Sed tu , qui dominaris potestati
maris , & motum fluctuum ejus
mitigas , exurge , adjuva me.

Dissipa gentes , quæ bella volunt:
contere eas in virtute tua.

Ostende , quæso , magnalia tua , &
glorificetur dexteratua:quia non est
spes alia , nec refugium mihi ,
nisi in te , Domine Deus
meus.

N 5

CA-